

ROMA SACRA

Emus. et Revmus. Vir FRANCISCUS Card. CASSETTA, Episcopus Tusculanus, S. Congregationis Concilii Praefectus, superiore mense Iunio quinquagesimum Sacerdotii annum feliciter explevit. Dum decori illi sacri Purpuratorum Senatus et Aliae Romae nostrae Patrono benevolentissimo, ex animo gratulamur, fausta omnia et bona Ei ominantes, obsequii etiam nostri tributum hic ponere voluimus, litteras referentes, quas auspicata illa iubilari die ad Eum SSmus. D. N. Benedictus PP. XV mittebat:

Venerabilis Frater, salutem et apostolicam benedictionem. — Propediem quinquaginta ab inito sacerdotio te completerum annos equidem valde libenter cognovimus. Namque idoneam haec eventus faustitas dat Nobis causam eius declarandae, qua sumus erga te obmerita, perstudiosae voluntatis. Profecto spatiuum praeteriti temporis ipse respiens, hoc ante omnia tibi gaudere debes, quod omnium officiorum tuorum muneribus semper, adiuvante Deo, sancte es utiliterque perfunctus. Sed ad bonae conscientiae testimonium non exiguum gaudii accessionem communis gratulatio bonorum afferet, qui te iure habent decus et ornamentum romani Cleri.

Hunc tu enim egregie non tam Purpureae splendore, quam sacerdotalium virtutum, munificae praesertim caritatis illustras. Nos igitur gratulantes tibi ex animo, et agimus tecum gratias Deo, qui te ad hunc diem sospitavit, et, ut benignus perquam diu te Nobis atque Ecclesiae conservet, rogamus.

Auspicem vero divinorum munerum ac testem praecipue Nostrae benevolentiae, Apostolicam tibi benedictionem, venerabilis Frater Noster, amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die VII mensis Iunii MCMXV, Pontificatus Nostri anno primo.

BENEDICTUS PP. XV.

Ex S. Poenitentiaria Apostolica.

De militibus in statu bellicae convocationis.

Proposito S. Poenitentiariae Apostolicae dubio: « Utrum miles quicumque in statu bellicae convocationis, seu, ut aiunt, *mobilizationis*, constitutus, ipso facto aequiparari possit iis qui versantur in periculo mortis ita ut a quovis obvio sacerdote possit absolviri », responsum est: « Detur responsum diei 18 Martii 1912, ad Episcopum V., nempe: *Affirmative*, iuxta regulas a probatis auctoribus traditas.

(Ex decreto d. xxix mens. Maii MCMXV).

Ex Congregatione Rituum.

De syllabis hypermetricis quoad cantum.

Regula descripta in Antiphonario Vaticano circa syllabas hypermetricas, quae frequenter occurrunt in cantu hymnorum, scilicet quod ipsae non eliduntur, sed distincte pronunciantur propriaque nota cantentur, stricte et rigorose interpretanda non est, sed e contra licet etiam ipsas syllabas elidere, praesertim si in praxi id facilius et convenientius censeatur.

(Ex dec. d. xiv mens. Maii MCMXV).

Dr. JOSEPHUS FORNARI, sponsor.

Romae, ex off. I. Bertero et Soc. (Via Umbria, 27).

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium annuae subnotationis (fasc. 12) est in Italia libell. 9; ubique extra Italiam libell. 12 (doll. 2.40; march. 10; rubl. 4 1/2; sh. 10; coron. 12) ante solvendum rectoque tramite mittendum ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, Romam, Via del Governo Vecchio, 96. ☈ ☈

Benedictus PP. xv. pacis iurium adsertor et vindex

A. d. III Nonas Augustas MDCCCLXXV in patrio athenaeo, Iacobus Della Chiesa, marchio, domo Genua, iuvenis admodum, sed studiis iam et litteris inclarescens, lauream iuris civilis magno cum honore eunctisque suffragiis adipiscebat. Quisnam tunc, nedum diceret, sed cogitaret adulescentem illum, qui ad eum gradum consequendum de legum interpretatione disseruit — hoc enim *thesis* suae argumentum — exeunte ab illa die anno quadragesimo, acerbissima post hominem memoriam atque exitiali tempestate, divinarum et humanarum legum non unice interpretem sed adsertorem gravissimum et vindicem in excelsa Petri cathedra futurum?

O mira Providentis Dei consilia! Nulla enim, credimus, laurea alumno cuiquam aequiparabilem praebuit adscensum. Id vero hac praecipua ratione contigit, quod novus ille iuris doctor usque ad solium hoc gradatim procedens, unde immensam nunc auctoritatem suam deducit, summa ope atque assidua

nitus est, ut aeterna, immutabilia iuris principia unice contemplatus, iuris visionem puram liberamque ab omni subiectione sibi servaret, ad quam saepe heu! nimis in civili institutione redigi solet, ut cum rerum eventibus componatur. Seilicet iter in seipso revolvens, quod Ecclesia per canones suos inter iuris regulas et consuetudines singularum gentium singularumque aetatum saeculorum decursu peregit, studia omnia sua ad aequum bonumque perpetuum assequendum convertit. Ita nunc, inter tot armorum strepitus, ingravescente dominantium invidia atque odio, unus Ille bellantes principes alloqui protest, aperte atque impavide eos monere et ad mitiora consilia pacemque revocare; non quidem eam pacem quae admiratione illa empirica fulcit erga rem actam, unde felices vis exitus, bellorumque ratione qualibet habiti successus ad iuris honorem crebro feruntur; sed cuius fundamentum in populorum naturali iure honestisque desideriis ponit.

tur; quae ab hostium victoria comprimi interdum, nunquam vero extingui possunt.

Neque satis. Novus enim viginti tum annorum ille doctor, ut iuris studium in se aleret ac perficeret, alia quoque operatus est. Quemadmodum apud ipsos Romanorum iuris peritos, vix Christi doctrina per orbem diffundi coepit, iustitia ut legum sententiarumque congeries non amplius evasit, sed constans et perpetua animi voluntas facta est; Ille item, Evangelii plenitudini rigide adhaerendo, aequi bonique rationes a mente ad animum trasferre didicit; ad animum, inquam, a Christi caritate amplificatum, cui hodie igitur non solum definire liceat ubi sit iustitia et quae ipsa sit, verum eam prorsus exigere.

Quorsum Iacobi Della Chiesa, nunc Benedicti PP. XV, duplex hic adscensus proficiet? Si infelix haec nostra Europa, ut huiusmodi pacis graphicas normas complectatur tamdiu immorari videtur; si bellator quisque contendit non suum, sed hostis officium esse ut primus arma deponat; iactat immo uni huic supremi iuris Magistri monitum referri debere; non tamen est desperandum: Europa enim iam aperte sentit adsertum ab amplissimo Christianae reipublicae Gubernatore verbum, veritatis verbum esse; varias iamnunc intelligit unius aut alterius bellantis populi noxas; triste videt immanis conflectationis spectaculum ipsissimum esse quod ab Eo graviter describitur; matrum, viduarum, orphanorum ploratus excipit per Eius vocem apprime respondentes; iam denique experitur populorum instauracionem, eorumque rationum obtestationumque expletionem urgere, in iisque optabilis item ac diurnae pacis fulcimen unice contineri.

Quae quidem, exoptata undique ab humano genere, pax brevi post tempore feliciter tandem adveniat; sitque pastoralis sollicitudinis Benedicti XV, per prium Pontificatus eius annum indesinenter habitae, debitus fructus; quem ut uberes magis in aevum sequantur ex animo ominamur.

ALMA ROMA.

Benedicti PP. xv. votivum pacis donum.⁽¹⁾

Pius Papa X, beatae memoriae, consuevit singulis sui summi pontificatus annis aliquod, veluti votivum donum, ad sanctam Philumenam Mugnanum mittere, ubi thaumaturga virguncula ac martyr in celeberrimo sanctuario ritu solemnissimo colitur.

Ipse ego testis et aliquando pars fui, cui ex nutu beatissimi Patris eura commissa est mittendi seu, si fieri posset, donum pontificium Mugnanum afferendi. Id mecum reputans non dubitavi scriptiunculam, quam *pro memoria* vocant, Purpurato Patri in Urbe Vicario tradere, qua Eminentissimus ille Praeses Commissionis Archeologiae sacrae (ad quam ex officio conveniendum mihi erat) coram summo novo Pontifice uteretur, ut meum humillimi servi atque, ut verius dicam, mancipii Virgini ac Martyri Philumenae addictissimi, desiderium aperiret.

Quo felicissimo exitu res processerit, paucis exponam.

(1) De Benedicto PP. XV pacis iurium assertore et vindice quadragesimo exeunte anno ab adepta iuris laurea scripseramus, quum clarissimi socii nostri scriptum hoc ad nos pervenit, quo ad Pontificiam pro pace sollecitudinem eximiae Sanctissimi Magistri pietatis testimonium additum ostenditur.

Sanctissimus Dominus Noster Benedictus XV non modo se benevolum praebuit, sed me ipsum se velle coram audire significavit. Quo nuntio quanta sim laetitia gaudioque affectus, vix quisquam potest secum cogitando assequi. Iamque fere imminebat hora, qua me Summo Pontifici sisterem; at nondum mihi in mentem venerat quale potissimum donum pro mea Philumena postularem. Quum repente occurrit expetenda prae ceteris donis « tabella pacis ». Mensem quum audisset meam, benignissimus Pontifex pari simplicitate qua in poscendo ego sum usus: « Placet, inquit, placet, nostraque curae erit ad te tabellam mittere ».

Haec reapse allata est quinto die ex quo Sanctus Pater suo me amabilissimo alloquio dignatus fuerat.

Tum vero intellexi beatam Philumenam sibi donum elegisse, deque eo poscendo mihi consilium inieccisse: quippe qui prorsus ignorabam quae et qualis tabella pacis penes pontificem Benedictum XV Philumenae donanda servaretur.

Eam breviter describere operae pretium existimo. Tota est ex solido argento anaglyptice insculpto frontemque veluti templi fastigati exhibit, in quo summo crux dominatur altiusque eminet, quam binae turricularum cuspides hinc inde supra capitellum spiralis columnae exstantes. Tota pagella ita apte dividitur: cernitur in ipsa media stans supra candidas nubes respiciensque Agnus Dei nimbo cruciger insignis, dextroque pede hastam humero acclinem sustentans, quae in parvam crucem desinit; tum in subiecta cruci fluitante ad auras taeniola legitur PAX: reliquum circum supraque Agnum spatium ramis baccisque olivarum intexitur.

Subter nubes et Agnum stemma

pontificium ipsius Benedicti XV prostat, ipsumque vere Benedictum auctorem et auspicem optatissimae pacis fore portendit columba, quae ad pontificium stemma involat ramum rostro attollens paciferae olivae.

In ima tabella subditur precatio ipsa liturgica:

DONA. NOBIS. PACEM.

Illud vero quod maxime praecipuum nec praeterundum, quod Agnus e dextro latere per acceptum vulnus sanguinem fundit, quo sanguine omne genus humandum redemit, omnesque ac singulos voluit homines inter se, non secus ac fratres, fraterno se amore diligere. At proh! dolor, quanta in praesenti se ferocia dilaniant, obstinatisque animis quaelibet consilia pacis respidunt, non prius immanni bello finem facturi, quam nulla ferendis armis inferendisque vulneribus brachia supersint!

Utinam aliquando paternae vocis, quae Benedicti XV vox est, clamores miserentis tantas filiorum strages, tantas familiarum populorumque ruinas audiant Principes terrae, atque intelligent vim fatidicae illius benedictionis quam nuperime sanctus Pater expressit: « Benedictus ille, qui primus ramum olivae extollat, et rationabiles causas pacis offerens, adversario dexteram porrigit! »

I. BONAVENIA, S. I.

VARIA LATINITAS

AD HORAT. EPIST. 1, 6, v. 61:
... Crudi tumidique lavemur.

Neminem fugit corruptissimus ille mos, plerumque etiam damnosus, quo Romani propter gulæ ventrisque aviditatem lavatum ire solerent post cenam, ut cibi eiusdem aviditatem revocarent.

Horatius hoc vitium iure queritur, immo aperte vituperat, utpote qui, assuetus, patre suasore et impulsore, *parce frugaliter vivere*, compertum habeat quantum corpori et animo temperantia victus proposit, adeo ut in plurimis sermonum locis sobrietatem vitae commendet (1). Cum autem eo loco, de quo supra, heliuones admonet ut genio suo indulgentes, omnia irritamenta gulæ exposcant, nemo est quin videat poëtam hic non certe esse mali moris praeceptorem, non deteriora quaedam inculcare, sed potius per lusum et, ut ita dicam, ironice loquentem, a vitio eos deterrere velle.

.... *Crudi tumidique lavemur,
Quid deceat, quid non obliti, Caerite cera
Digni...*

Quod si priora verba ad litteram hîc essent intelligenda, poëtae lineamenta quae iam nostro in animo impressimus, e scriptis deprompta, in quibus omnis ipsius vita patet, veluti in quadam tabella votiva descripta, prorsus ac profunde perturbarentur. Utecumque, ne a proposito longius digredi videamur, ad locum hunc Horatii illustrandum in quo vitiosa aquarum consuetudo post cenam memoratur, duo loci vulgo poëtarum afferri solent, quorum alter Iuvenalis est, alter Persii:

Iuv.:

*Turgidus et crudum pavonem in balnea
[portas...](2)
I, 142 sqq.*

PERS.:

*Turgidus hic epulis, atque albo ventre
[lavatur...]
III, 98 sqq.*

(1) Vide, prae aliis, *Serm. II, 2, v. 70 sqq.*:
*Accipe nunc, victus tenuis quae quantaque secum
Adferat. In primis valeas bene: nam variae res
Ut noceant homini, credas, memor illius escas
Quae simplex olim tibi sederit, at simul assis
Miscueris elixa, simul conchylia turdis,
Dulcia se in bilem vertent stomachoque tumultum
Lenta feret pituita. Vides ut pallidus omnis
Cena desurgat dubia?...*

Nisi quod apud Apuleium nonnulla inveniuntur quae locum, de quo agitur, vel magis explanent.

In libro de Magia, in quo venustatem sane dicendi mireris cum quadam inexhausta argutiarum et salum vena coniunctam, ut inde tota vis ingenii auctoris, tota animi dicacitas et praesentia, tota festivitas scribendi dignosci possit, ad refellendum cuiusdam Crassi testimonium, apud quem, absentem, nocturna insana fecisse incusabatur, cuiusque ebrietatem iocose acerbeque prosequitur, haec habet (c. LIX): « Dico Crassum iam dudum ebrium stertere, aut secundo lavaero ad repotia cenae obeunda vinulentum sudorem in balneo desudare ».

Non est hic locus lectores morari de lepidissima ac felicissima Apulei arte pingendi: videamus, contra, quantum illa Romanorum consuetudo de aquis post cenam apud Afros quoque invulnerit! Alii crudi et tumidi lavantur; alii portant in balnea pavonem crudum; alii denique *lente exhalant sulfureas mephites* in balneis: Crassus vero vinulentum sudorem desudat, scilicet immoderato tumefactus potu atque passu...

Sint adiuncta plus minusve diversa, res tamen eadem est, usitatissimam fuisse olim — o quantum mutati sumus in melius ab illis temporibus! — cupiditatem cibi rursus lavaero excitare!

Post ea quae diximus, velim Apuleianus locus quoque in interpretando Horatii versu 61 (*Epist. I, 6*) a nostris diligentissimis explanatoribus proferatur.

MARCUS GALDI.

(2) Vide, sis, quomodo Iuvenalis hîc easdem voces adhibuerit atque Horatius: *turgidus* (= *tumidus*) et *crudum*, quod verbum vero dicitur de cibo non concocto, cum apud Horatium de illis dicatur qui cibum ingestum difficulter concoquunt, et Persius *turgidus* tantum accepit.

Quomodo rei militaris studium ad hodiernos mores pertineat⁽¹⁾

Caelio, amicorum suavissimo, salutem.

Quamquam scio, mi Caeli, aures tuas armorum strepitu sermoneque belli undique circumsonare, pauca tamen, ut istam, quam postulasti, solito longiore epistolam recipias, ad te scribere statui de rei militaris studio, eam maxime respiciens partem, quae ad hodiernos mores pertinet. Sed ut ab initio rem tanti momenti tamque cogitatione dignam magis intelligamus, haud scio an nullo modo melius incipere possimus, quam definiendo quid teneant ii qui rei militaris studium fovent.

Docent igitur huius philosophiae magistri — nomen enim philosophorum prae se ferunt — quum animalia omniaque animantia non possint existere nisi continuo inter se certamine, sic inter civitates, eadem ducente Natura, bella non posse vitari. Quo in certamine eas quae victores discedant civitates ad vitam colendam opesque augendas maiores habere facultates; inferiores autem nullo modo defugere posse quin interitu pereant. Sed quum ad victoriam adipiscendam oporteat cives eas praebere virtutem

(1) Scriptum hoc ex Hibernia ad nos pervenit a socio nostro clarissimo I. D. A. docente idem a discipulo quodam suo concinnatum, argumento in suo litterarum ludo pubblice proposito. Libenti animo elucubratiunculam edimus, quam speramus aliis incitamento futuram. Quid enim magis gratum nobis, quam ut cognoscamus novos in campum latinitatis propugnatores descendere, eosque iuvenes admodum, atque ob id ipsum futuri temporis heroes? Eo denique amplius modesto huic PACIFICO gratulamur, quod bellum exsecrans, verae humanitatis adventum in humani generis fraterna societate provehere suis viribus et ipse satagit.

tes, quibus bellum incepturn prospere confiant, maxime interesse eorum qui rem publicam administrent, ut rei militari omnia cetera posthabent. Ex duabus enim propositis, aut fines suos longius proferre alias gentes in suam ditacionem redigendo et sic gradatim orbis terrarum potiri, aut ad exitium certissimum destinari, alterum solum eligi licere.

Nec quidem ullo tempore defuerunt qui hanc tantam fiduciam in armis posserent; sed nuper apud Germanos praevertim permulti se tradiderunt in disciplinam paucorum, qui specie humanitatis atque amoris patriae hanc agendi rationem exposuerunt. Qua vero disciplina imbuti ii qui rem publicam administrabant, id maxime agebant ut artibus militiae omnes cives erudiendo, et belli studium in animis ferendo, suam civitatem omnibus ceteris, cum circa milites tum circa bellicos apparatus, praestantiorum redderent. Quum igitur in Gallia, Sarmatia et Anglia nonnulli Germanos tam celeriter terra marique bellum parare solliciti aspicerent, haec tanta festinatio quid significaret mirabantur. Non certe tanto belli apparatu ad pacem conservandam opus esse credebant, sed communi timore perculti, itemque reputantes vim posse una vi repelli, foedere inter se icto, ipsi in vicem arma parabant, ut, bellum si inferretur, strenue sese defendere possent. Nec diu erat expectandum...

Iam satis, ut opinor, huius philosophiae naturam exposuimus, et quemadmodum ea, quae hodie apud Germanos aliquæ Europæ populos in republica geruntur negotia, ab ea ducerentur, breviter tetigimus. Nunc vero haec tota disciplina, quod ad hominum vitam mores que spectat, quid habeat argumentum est altius repetenda. Primum igitur homi-

num cogitationes et vires a proprio studio in finem alienum naturaeque repugnantem avertit. Hanc enim ob causam maxime, ut civium commodis et moribus consuleretur, res publica civitatesque institutas esse omnes uno ore consentiunt. Quod quum etiam hi philosophi agnoscant, uno tantum imperio ad res prosperas perveniri posse docent. Credunt idcireo hodie homines multi, quo longius finitimus subiectis fines imperii sui proferantur, eo facilius ea quae ad vitam pertineant suppeditari, seque victores gloria quadam illustriore ornari. Itaque gentes pacificas imbellesque contemnunt, quas inertes ultiroque in peius ruentes locum cedere fortiori cuiolibet genti oportere censem.

Hae autem opiniones omnes quam falsae sint cuivis res hodiernas clare intuenti apparebit. In hominibus enim hoc habet illud certamen ad vitam conservandam, non ut contra semet ipsos vires suas exerceant, sed potius ut eas quas Natura cum maxima largitate suppeditat fruges, vi et labore percipient. Cuiolibet igitur interroganti quomodo huiusmodi, quam improbamus, doctrinae fautoribus, vitae necessaria sint comparanda, nemo nisi stultus respondebit eos posse maiores vivendi facultates consequi finibus imperii proferendis. Et hoc quidem in Belgis manifestò apparet, qui omne studium et industriam in agri cultura, mercatura alisque pacis artibus collocando, res prosperas consecuti sunt. Hispani autem, qui usque ad nostros fere dies magnum imperium obtinebant, deum tamen senserunt quanto magis provinciis suis vectigalia imperarent, tanto se ipsos ad maiorem egestatem redigi. Hodie enim, haud pariter atque in saeculis praeteritis, quum nondum tot novis inventis artes auxisset Minerva, adeo

inter se coniunguntur homines, ut non tam in singulas civitates dividantur, quam universam constituant gentium societatem, in qua opes suas illa civitas maxime amplificet, quae ceterarum commodis plurimum consulat. Frustra igitur in res militares tantae pecuniae erogantur, quae, si in res civiles impenderent, ubiores redderent fructus.

At fortasse dixerit quispiam eos, qui huius philosophiae studiosi sint, maiorem animi celsitudinem praestare, ac virtute omnino et honestate multum valere. Quod vero quantum a veritate distet et quomodo revera res se habeat est iam inspiciendum. Principio quidem haec philosophia excellentiam suam innatam hominibus abrogat, eosque ad beluarum gradum redigit. Hominis enim natura a reliquis animalibus in hoc maxime differt, ut homo omnia rationi intelligentiaeque subiicere possit, beluae autem impetu naturae ferantur. Constat praeterea quum non corporis, sed animi viribus homines a fera agrestique vita ad humanum cultum et civilem progressi sint, eos debere animi viribus omnia dirigere. Hodie igitur quum cuiquam clare disserenti iura nunquam posse vi confirmari satis appareat, immane quidam esse censeremus minimeque hominis dignitati consentaneum, si duo homines aliquam rem de qua ambigatur ad gladios deducerent. Attamen in republica illud Thucydidis memoria tenentes: πρός τε γὰρ τοὺς ἀστυγέτονας πᾶσι τὸ ἀντίπολον καὶ ἐλεύθερον καθίσταται, armis potius quam ratione confidere malumus.

Deinde nihil est quod magis totam humani generis societatem continet, quam fides. Quam quidem qui hodie rei militaris studiosi sunt omnino contemnunt. Quamquam enim nulla est civitas, quin

se pacem desiderare simulet; omnes tandem in bello parando inter se contendunt atque foederibus fallacibus periculum differre conantur, dum ipsi arma inferendi occasionem exspectant. Quod vero nuper Germani manifestum reddiderunt, qui foedere obstricti ne terram Belgarum violarent, fidem tamen fefellerunt. Quod foedi flagitium ut etiam in republica utilitas honestati anteponatur? Si enim hoc modo fidem totius civitatis tam flocci aestimamus, nullo modo vitari potest quin tota humani generis societas funditus evertatur.

Quid porro de iustitia? Num tollitur iniuria etiam si falsis nominibus occulatur? Hodie enim is honoribus cumulatur qui omnibus populis libertatem eripiat; qua sublata, nihil iam reliquum est unde iuris aut aequitatis sanctio derivetur. Nonne etiam in republica is peritissimus habetur, qui dolis et fallaciis alios circumvenire possit? Ille denique patriae amantissimus laudatur qui in periculum capitum sese inferat, ut alienae civitatis arcana intimaque consilia fraude surripiat. O di immortales, paeclarum iustitiam! Omnia scilicet iusta fiunt, dummodo pro patria agantur!...

Sed haec hactenus. Ut autem ad mores corrumpendos quantum valeat haec philosophia melius intelligamus, ipsi Germani rursus adducantur in exemplum. Olim enim artibus humanis totos se ii tradiderunt, nec erant multi, qui eis musica, vel litteris vel quolibet alio humanitatis genere praestarent. Quum autem Napoleon ille inter alias gentes eos domuisset et in ditionem Gallorum redegisset, non diu deerant qui eos non aliter iugum servitutis excuti posse praedicarent, nisi omnes in unum consulerent armaque pararent. Omnes igitur totius Germaniae civitates foedere coniunctae, Borussicis

ducentibus, bellum instruere coeperunt et mox in libertatem sese vindicarunt. Principes vero ut primum victoriam experti sunt, iam non libertate contenti, studio imperii ardebat. Ut autem civibus consilii sui rationem probarent, armorum, ut ita dicam, philosophiam finixerunt, et specie libertatis servandae terra marique copias suas augere moliti sunt. Nonnulli etiam magis blanditiis quam veritate freti, totam gentem philosophari proclamabant, cultuque paeclarissimo esse praeditam, quem ut per orbem terrarum diffunderet, optimo cuique civi summa ope, etiam vi et armis, enitendum esse. At hunc paeclarum cultum, quum iam diffundere statuerint, actum est apud illos de litteris et bonis artibus. Ubi enim iam musici ac poetae, et ii qui vere nomen philosophorum ferant? Omnes discesserunt; quibus in vicem factae philosophiae discipuli et asseclae immites subsequuti sunt.

Itaque hodie verae humanitatis studiosis contingere iam videtur, ut hominum animos huius philosophiae errore liberent. Sed tamen cavendum item est, ne ii auscultando, qui Germanos delegendos esse proclamant, ipsi Borussorum similes evasuri sint. Hoc enim officium est, non ut Germani in alienam ditionem veniant, sed ut ii armis solis confidere quam pravum et inane sit experiantur. Sic enim nullum in posterum bellorum semen relinquunt, sic gloriari poterunt se custodiam orbis terrarum magis quam imperium tenere.

Habes iam quid de rebus hodiernis sentiam. Verum haec nobis quando in urbem veneris fusius erunt disputanda. Interim spero hanc meam epistolam tibi quasi medicamentum fore, ne forte clamoribus eorum, qui cum magno pacis damno rei militaris studium nimia laude afficiunt, fidem tribuas. Vale.

PACIFICUS.

ARCHÆOLOGICÆ NOTÆ

**De templo Iovis Latiaris
deque recentibus circa ipsum effosionibus.**

Nullum profecto magnificentius spectaculum quam quod admirari licet in summo Latiali monte, quem *Cavum* nunc vulgo appellant, nomine deducto ab oppido Cabi, quondam prope positio. Illuc enim quum perveneris, per viam commodam satis atque in ima parte lapidibus adhuc constratam, in quibus passim litteras V. N. legi possunt, quas nonnulli Viam Numinis autumant indicare, non in vertice quovis consistes, sed in circulari planicie, cuius centrum carpinus saecularibus ramis ingentissima; latus autem ad meridiem et occidentem solem ampliae aedes cum annexo templo, coenobio olim, nunc divisorio, occupant. Quolibet autem te convertas, habes in conspectu quicquid pulcri et mirabilis in varietate sua natura creavit; camporum et nemorum circum, vinearumque pratorumque spatium immensum; oppida hinc et castella, a collibus ad alpestria loca Latialis regionis, et Etruscae, Sabinae, Equorumque, Herniorumque; Albanus inde et Nemorensis lacus. Coram, panditur Roma cum magna aedificiorum suorum copia, quibus Petrianae basilicae tholus eminet immensus solisque radiis refulgens; et post ipsam quasi coluber per agrum romanum usque ad ostium infinite serpens, Tiberinus pater... Quid cyclopicæ sphynx illa ad dexteram? Stat nive candidum Soracte... Atque argentum illud a longe repulsum? Sabatini lacus aquae sunt, vulcani crater, in quas Sabatis antiquissima urbs misere quondam demersa est. Ab iis non longe Romanæ Arcis, Terminilli, Rhosiaci-

que montium, prouti hodie nuncupantur, vertices, navitatem vulcani illius indigitant, ab eo non longe diversi, qui Latiaris fuit. Verum a Sabatinis obtutum producas per *Tolfanae* rupium iuga ad caput Linarium et Centumcellarum urbem, unde latissimus Tyrrheni maris tractus per centum et ultra pedum millia aperitur, cum litoralibus oppidis insulisque suis, usque ad Circaeos.

Neque circumspicere sufficiat; si enim Ciminos Umbrosque longinquo at patentes montes praeterire volumus, post Tusculanos proximos colles Anionem flumen transgressi, elivosque Cornicolanos, in praerupta illa facile occurrimus, de quibus Horatius:

*Velox amoenum saepe Lucretilem
Mutat Lycaeus Faunus;*

post quae, ad horizontem, in continuis Apenninis montibus Magnum illud quod dicitur Italiae Saxum superbam erigit frontem. Lucretilis fere ad pedes Tibur superbum videmus; post ipsum Guadagnolo ac Vulturella vertex; Praenestini deinde montes sequuntur cum urbe illa Fortunae deae sacra atque celebri, quae ab iis nomen accepit, ni potius dedit; et Marsicani ulterius, Hernici, Lepini... Acies vero oculorum hic in Artemisium facile intendit, eiusque Larianum saxum, famosam quondam arcem; et Algidum; quae iterum non ad latiale tantum vulcanum nos reducunt, sed ad historicos Romanorum fastus:

*Scilicet hic olim Volcos, Aequosque fugatos
Viderat in campis Algida terra suis. (1)*

Iamvero tanto fulgore languent oculi, et patulae quercus sub umbra requiescere iuvat. Ecce autem brevi no-

(1) OVID., *Fast.*, VI.

vissimus visus. Tolluntur, venustate simul ac maiestate augustae, nos circum aedes ex ingenti crepidine, propugnaculi inexpugnabilis instar, magnis cum pinnis ad obtusae pyramidis formam; in centro templum est venerabile, sacrum, columnis, statuis, coronario opere decorum... en fanum, et ara incensis odoribus fumans... en formidati Numinis simulacrum. Evidem hic

*Caelo tonantem credimus Iovem
Regnare:*

aquila ad eius pedem, invulnerabilis ancilla, ad formidabile Deorum hominumque parentis telum capiendum sollicita videtur.... Accedunt receduntque Cabenses ex candidis infulis sacerdotes, (1) plusque solito ministerio suo praesto adesse apparent. Quid? Flebilis cantus ex Numinis Via aures permulcit: sacer hymnus e millibus hominum vocibus iteratur, iisque et fauces rupesque, et colles, agri, ipseque apertus aer praeter Albanum montem late respondent. Solemnis pompa advenit: diversi audiuntur sermones, mores diversi animadvertuntur diversaque signa: aquilae et fasces, saga, praetextae, togae, vittae, albaeque ex auratis cornubus hostiae... Numne Romani sociique in excelsa hoc monte, fere in medullio suarum gentium hodie congregantur, concilium ex lata lege habituri, iussi quotannis hic, ab omni vi abstinentes omnes, mercatum exerceri, et sacra communiter Iovi Latiali fieri et epulas celebrari ut foedus, inter se

(1) Ex proximo Cabi oppido sacerdotes Latiaris templi administrari erant.

(2) DIONYS. ALICARN., lib. VIII, 87; LIV., I, 3; V, 17; XXI, 63. « Haec sacrificia et has ferias Romani ad nostra usque tempora celebrant Latinas ferias vocantes ».

(3) Cfr. LIV., I, 12; VII, 20; XXV, 6 et passim apud ipsum auctorem ceterosque Latinos historicos. Haec aliaque id genus signa

ictum, esset sempiternum? (2) An, adepta victoria, quae in Capitolio triumphare non sivit, *ovatio* hodierna die habetur? Sed tamen imperator non provehitur, myrto redimitus, neque boves sunt ab eo ovesque ab administris mactanda... Quinimo, pro laetitia, terror et consternatio in singulorum vultu depingitur. Heu! heu! Prodigium enim factum est. In Albano monte biduum continenter lapidibus pluit; sol rubore solito magis sanguinisque similis... et nox interdiu visa distendi... Visa etiam audiri vox ingens ex summi cacuminis loco, ut patrio ritu sacra fierent... (3) Heu! heu! Tacta de caelo fuere et signum Iovis, arborque templo propinqua; (4) et Iovis simulacrum ex humero dextro et manu dextera sanguinem stillavit... (5) Heu! heu! flagella imminent; optime itaque ex senatus consulto novae eaeque extraordinariae feriae indictae; (6) inde populorum magistratumque ad Latiaris templum Iovis omnipotentis hic tantus concursus.

At:

En Deus, en Deus: animis linguisque fare!

Gravis enim accessit Cabensis sacerdos, oculosque ad sidera efferens caelo palmas cum voce tetendit:

*Iuppiter omnipotens, precibus si flecteris ullis,
Aspice nos, hoc tantum; et, si pietate meremur,
Da deinde auxilium, Pater, atque haec omne
firma! (7)*

Reapse Iuppiter non dubiis signis favorable tandem numen suum demonstrat: victimariorum igitur iam feriunt

aperte indicant vim latialis vulcani unde montes lacusque circum facti sunt, ad IV usque saeculum ante Christum perstitisse.

(4) LIV., XXVII, 13.

(5) DIO. CAS., XLVII.

(6) Aruspicum monitu mansit certe solemnne, ut quandocumque idem prodigium nuntiaretur, feriae per novem dies agerentur». LIV., I, 21.

(7) VERG., *Aen.*, II, 689.

*secures colla torosa boum, et ante auras
aurata fronte iuvencum.* (1)

*Supponunt alii cultros tepidumque cruentem
Excipiunt pateris;* (2)



IUPITER LATIARIS (Ex antiqua tabula).

*alii pingua in verubus torrent exta co-
lurnis;* (3) sequitur denique «visceratio»,(4) omnesque exsultanter vescuntur

Perpetui tergo bovis et lustralibus extis. (5)

(1) Cfr. OVID., *Met.*, VII; VERG., *Aen.*, IX.

(2) VERG., *Aen.*, VI, 248.

(3) Cfr. VERG., *Georg.*, II.

(4) «Viscera non tantum intestina dicimus,
sed quidquid sub corio est, ut in Albano La-

Ohe, ohe, vos; ecquid et vos tantum,
adhucite Penates
Et patrios epulis, et quos colit hospes Acestes? (6)

Ecquid me neglexistis; imo
praetermisistis? Quid? Capiti-
fugam? Quos ego..

Aberunt utique omnes;
unus hic sub tegmine fagi soli-
tarious ego mansi, qui...
somnium antiquitatis somnia-
vi. Fuit enim, fuit ingens
gloria Deorum; fuit

*Et residens celsa Latialis Iup-
[piter Alba];* (7)

atque ex eius sacris aedibus
magnis et inclytis, nihil praet-
er informia saxa superest;
quinimo et locus ipse ubi
praecise eae structae fuerint
adhuc in occulto latet.

* * *

Ex Aquileiensi pugna, in
qua Theodosius imperator
quum Eugenium imperato-
rem fudit, Christianae reli-
gionis definitivum triumphum
constituit, per annos circiter
mille de celebri illo templo
historia tacuit. Eius enim
memoriam unice, quod scia-
mus, an. MCCCCXL revocavit

Aeneas Sylvius Piccolomini,
Pius scilicet ille Pontifex in suo or-
dine II; qui veterum litterarum mon-
umentorumque studiosissimus, Alba-
num montem ascendit. «In cacumine

tinis visceratio dabatur, idest caro» (SERV.
in Verg., I).


(5) VERG., *Aen.*, VIII, 170.

(6) *Ibid.*, V, 63.

(7) LUC., I, 198.

planiciem reperit, stadium aut amplius
paullo in circuitu complexam; antiqui
per ambitum muri fundamenta exstant,

Ad haec summi Iovis redactum iam tum
erat venerabile templum: o quam mu-
tatum ab illo!...



SCHEMA TEMPLI IOVIS LATIARIS IN BARBERINIANO ARCHIVO OSSERVATO.

et saxa ingentia ferro expolita, et sacel-
lum in medio dirutum, super cuius ruinis
Dalmata quidam eremitorum constru-
xit, congestis sine calce lapidibus. (1) »

(1) GOBELLINI, *Comm. Pii II*, lib., XI.

Brevis haec descriptio figurae prope
respondet, quam in Barberiniano archi-
vo an. MDCCCLXXIII clarissimus Ioan-
nes Baptista De Rossi invenit. In ea
enim exhibetur sacellum ex quadrila-

tera eaque absidata forma (A); fundamentorum rudera indicantur ex magnis lapidibus parallelepipedis (C). At vero ignotus ille figurae metator, qui saeculo XVII vixit, reapse ne vidit quae delineavit, an potius Gobellinii vestigiis insistens figuram sibi effinxerat? Certe ruinae, quas Pius II vidiit eiusque historicus posteris tradidit, iniurias novas atque peculiares passae non erant saec. ipso XVII; siquidem Piazza historicus eas fere identidem recensuit, testatus se ipsum studiose inspexisse.(1)

(*Ad proximum numerum.*)

* *



EX BATAVIA


Certamen poeticum Hoeufftianum.

Accepimus, et libenter edimus:

Mortuo KARSTENO, Academiae Secretario, poetae Hoeufftiani rogantur ut carmina sua in proximum certamen de-sensura mittant ad:

Het Bestuur der Koninklijke Akademie van Wetenschappen, Trippenhuis, Amsterdam.

P. D. CHANTEPIE DE LA SAUSSAYE,
Acad. Regiae Ord. Lit. Praeses.



COMMUNIA VITAE

Super arte de modice comedendo.

Quid tibi videtur, candide lector? Hoc sane consilium, quod tecum confidentissimis verbis communico, quodque nuper apud nos invectum est, nonne tibi dementia adparet? Scio enim equidem hanc ipsam artem novissimam huic potissimum saeculo reprobari,

(1) PIAZZA, *Gerarchia cardinalizia*, p. 286.

quod praeter opinionem, etsi multis bonis artibus honestatur, gaudentibus tamen atque beatioribus carum videtur et optatissimum. Longe alia mens erat illis quoque artificibus, qui olim apud Italos fama operum percrebrescebat atque ingenio, quique renascentibus litteris, genioque nimis indulgentes, simul saepe, relictis negotiis, in amicitiae signum atque laetitiae animique causa, certaturi conveniebant quis inter ipsos copiosius ederet. Quod, hercle, ingenium! Quam dives in ipsis epulis disponendis mentis varietas! Nec eis numerus erat fereculorum, nec ullus modus in ipso mensarum ornatu. Quidquid enim suggestere sculptores sciunt, quidve pictores vel architecti in auxilium revocant, in ipsis inveniebatur. Erant saepe inter prandendum, pulcherrima tempula, in quibus succidiae adstabant in columnarum formam, quasi ex rubro iaspide essent ingeniose compositae, epistylia ex caseo variis cum coloribus, qui quodammodo marmor referrent; pastilli se extollebant in modum testudinis audentis: ampla quoque aedificia cum arcubus ex vitulinis confectis, cum anaglyptis ornamentisque e pullorum pectore candido; nigraque mensula e suino iecore, typi denique e crustulis bellariisque, aliaque id genus complura singulari artificio confecta ab architectis, in quibus mirum in modum eorum ars et culinaria perfectissima cum sapientia componebantur. Ab escis ipsi ingenium eiusque opera proficisci putabant.

Hoc primum saeculo adpetente ars de modice comedendo comparebat; mox enim elapso multum quisque pro arbitratu ac pro viribus edere consuevit. Percrebuerunt apud omnes immania *Balzaci*, famosi illius fabellarum milesiarum scriptoris, prandia; Rossiniique nostri mu-

sici pastilli carnibus conferti, quorum auctorem facile inter omnes principem se ipse gloriose praedicabat! Qui memorem voracem Victoris Hugo stomachum, qui costulas comedens ossa dentibus concrepabat? Est qui narrat eum absorbus cum cortice integrum aureum malum!

Sed hisce obiter positis, eundum est ad artem de parum comedendo. Magistrum nunc rerum tot mirandarum dat nobis peropportunum clarior illa regio dives ac fortunata rerum omnium admirabilium parens, quae America dicitur; et nomen auctoris Horatius Fletcher.(1)

Praefaturus in prima voluminis fronte aliquot monita magister congerit, quibus hac de re suum omnino consilium etiam atque etiam explicat. In primis solemnis praedicat: « Nimis nos, homines, manducamus, sieque vita nostra incommodis debilitatur atque infirmatis. »

In hoc volumine passim legimus quid sit tibi faciendum ne immodice comedas; vel si comedeleris quaecumque placent, quomodo obtineas quod maxime delectat, minimo utique pretio nulloque virium defectu. Hinc pre ceteris nominat Aloysium Cornarum, natione venetum, qui, quum ad viridem senectutem pervenisset, dicere solebat: « Quo magis helluo in iuventute fui, eo in senecta parciор vixi. » Omnis autem auctoris disciplina est in digestione potiusquam in numero atque epularum genere. Quid est? Nobis quid novi doctor Americanus ducit venditque?

(*Ad proximum numerum.*)

SUBALPINUS.

(1) Hanc opellam italice conscriptam nuper Riccardus Quintieri edidit.

QUI FUERUNT...

Quum superior ALMAE ROMAE fasciculus per orbem vulgabatur, **Antonius adv. Martini**, qui principem in eo articulum scripserat, arteriosclerosis improviso impetu in quadam Urbis via impeditus, septimum supra sexagesimum aetatis annum agens, extremum spiritum efflabat.

Honesto genere Parmae natus ex clara litteratorum familia, maiorum vestigia premens, ab advocatione abstinuit, cuius lauream in patrio athenaeo erat cum laude consequutus, ut omnem operam litteris et bonis artibus navaret, primum in bibliotheca Parmensi, atque Romae deinde in Itali ci senatus bibliotheca, cuius praefecturam, publici arduique certaminis victor, obtinuit diuque, usque dum vires suppeditarent, cum omnium gratia ac plausu gessit. Erat enim comes ei atque mitis animus; ex quo fiebat ut, quum nemini sive consilio, sive etiam industria sua deesset, tum adolescentes in primo studiorum aut munierum curriculo, tum homines quoque probatissimi eum fidenter adirent, ipseque in singulorum, ipsorumque summae Italicae rei administratorum, consuetudinem facile venerit. Ab hoc tamen familiari usu venditando honeste semper refugit, itemque a iactanda doctrina, quam multam habuit et variam, ab iure gentium, quod in Parmensi ipsa universitate docuit, ad historiam et poësim.

Latinitatis autem studiosissimus fuit, suntque sollicitudinis eius testimonium quae edidit opera de *Carminibus latinis Torquati Tassi*, quaeque ipse latina scriptis carmina et argumenta solutae orationis. Horum postrema pro nobis exaravit,

quibus — o summa eius humanitas! — ubi primum de ALMA ROMA notionem habuit, non magistrum, qui esse poterat, sed laboris comitem sponte ac liberaliter sese obtulit, isque fuit. Quoties morbi insidiis iam circumventus, et quasi repens baculo innixus, nos ille adivit progressus operis nostri quaesitur! Qui eum aliquot ante annos in Historicorum universalis conventu Romae habito magnifice et animose disserentem audiveramus de unico latino sermone inter doctos homines in ipsisque internationalibus, ut vulgo audit, quaestionibus adhibendo, resumi prope in eo illos spiritus incundi tum animadvertebamus; et augebatur simul ex eius verbis nobis animus ad persistendum incoepui tot difficultatibus obnoxio, in tanta praesertim rerum iniquitate. Atqui benevolentissimam illam et reficien-tem vocem non amplius audiemus, quae iam, morte appropinquate, in publico nosocomio — illic enim Antonius Martini delatus, ex vita lieu! migravit — deficiens, ALMAM ROMAM nostram, ab uxore et liberis, lectum in lacrimis circumstantibus, anxie quaeritabat...

Ave, anima candidissima, et vale in pace!

Strenue in Orientalibus Italiae Alpibus pugnans, postremis superioris Iulii mensis diebus, occidebat **Iosephus Antonelli Costaggini** subcenturio, frater natu minor Ioachim, laboris nostri socii dilectissimi, cuius luctus participatio-nem hic publice renovamus. Quamquam non dubitamus quin iuvenis ille fortis, qui milites suos contra hostes viriliter ducens occubuit, laeto animo vitae suaee sacrificium obtulerit, certus *dulce esse et decorum pro patria mori.*

ANNALES

Latius spatium temporis, quod a superiore nostra eventuum recensione ad hanc usque intercessit, nos magis cogit, ne longiores simus, ut eam stricte et per summa capita componamus. Igitur **de Europaeo bello** primum, ut res postulat, referentes atque ab Italia ducentes initium, eius progressionem dicimus ultra semper, quamquam lente ob naturae hostilisque artis difficultates, fuisse perductam. Tendunt etiam nunc Itali ad Goritiam urbem, seu potius ad altissima munitissima loca quae eam provinciam circum praetexunt, non iniuria formidabile, non interruptum, unicum vallum habitam. Atque tamen Itali constanti invictoque animo, virtute indomita, quibus omnis generis pericula aggressi ita audacter sunt, ut ipsi hostes, non certe laudibus abundantes, admirationem suam confiteri non dubitaverint, plurimis iis locis potiti sunt, atque firme tenent. Infesta eorum agmina praeter Sontium flumen, quod per acerrimam vim, ubi necesse fuerit, transierunt, in Carsi rupibus, potentissimum Goritiae praesidium, operata maxime sunt: earum pedibus a Gradisca, ut in superiore fasciculo adnotavimus, ad Montem falconis superatis, hostiles aggeres perfrengerunt a Sella Sancti Martini ad montem vulgo « Sei Busi ». In Tridentino autem et in Carnia, hic impedire valuerunt ne hostes in Italiam ullo modo irrumperent; illic, ubi praesertim tutum maturumque aggredi sibi videretur, ab occupatione non abstine-runt. Sufficiat memorare in Italorum potestate iam esse alta ad dexteram Chiese fluminis, Condinum in valle Giudicaria, montem cui nomen Altissimus,

Brentonicae et Vezenae elatas planities, Ala et Serravalle oppida in Athesina valle, magnam Vallarsae partem cum celsis suis collibus usque fere ad Rovereto urbem, montem « Maiorem », vallem Suganam usque ad « Ospedalotto », Bieni et Plebis Tesinae alveos, pendices Astae cacuminis, « Frera di Primiero » et altitudines circum, Fal-saregi augustias, Tofanas, Podestagno, eum retrostanti concha Cortinae de Ampezzo. In mari autem Pelagosam insulam, suppeditandae Austrorum clas-si stationem, cooperunt.

Nihil peculiari mentione dignum in belli theatro — (o verborum ironia!) — ad occidentem; in orientali, e contra, Russi in receptu suo perrexerunt, pre-mentibus Teutonibus, qui Poloniā late invaserunt ipsamque Varsaviā urbem caput occuparunt, atque deinde Wladimir Wolynskij, primum in vera Russia oppidum. Dicunt huiusmodi rece-ptum per belli acuta a Russis esse fa-cetum; quod eventus docebunt.

Docebunt, inquam, eventus; siquidem finem immensi huius belli nemini coniicere adhuc conceditur. Atqui ne infausta ipsa qua, ante annum, exor-tum est die, Paterna Summi Pontificis vox resonare defuit, eaque non hortatrix tantum ut mutuum excidii proposi-tum tandem aliquando deponatur, sed severe in suo cuiusque sermone bellum gerentes populos monens eorumque re-ctores: haud mori nationes; afflictas et op-pressas impositum ingum ferre fremen-tes, redemptionem suam parantes atque a generatione in generationem trasmitten tes tristem odii atque ultionis haeredita-tem. Aequa enim orbis lanx ac prospera eaque tuta nationum tranquillitas in mu-tua benevolentia atque in ceterorum iurium dignitatisque observantia posita

sunt multo magis, quam in armorum multitudine atque formidabili munimen-torum serie. Cur igitur serena mente iura rectaque populorum vota non iam perpendantur? Cur benevolenti animo, sive reeta via, sive indirecta, consilio-rum commutatio non instituatur, eo fine ut eorum iurium eorumque votorum ratio quantum decebit habeatur, desi-natque ita tandem, prouti alias factum est, immane hoc certamen, insanabilis ruinae semen?

Benedictus ille — liceat et nobis cum omnium gentium amantissimo parente concludere — qui primus olivae ramum tollat, dextramque amicam hosti con-gruenter porrigit!

* * *

Post Europaeum bellum quaestio maxi ponderis per orbem agitata fuit **Teutones iuter et Septentrionalis Americae Civitates Foederatas**. Diximus a Germania mercatoriam navem *Lu-sitania* cum viatoribus in mari saeve demersam. Americanum gubernium, quia ipsa a suis finibus profecta centum cives suos veheret, vehementer apud Germa-niam conquestum est quod huiusmodi facinora ei patrare ne iure quidem belli liceret. Negavit altera se posse Ameri-canorum protestationibus adhaerere, declarans quando sibi videretur in neutrorum navigiis per fraudem hostibus suis utile quidquam ferri, se quavis clarigatione uti posse et velle. Inde « notarum », prouti vulgo audit, series, quae destitit nondum; neque coniicere ulli fas est quorsum sit cessura. Au-striaci vicissim refragati sunt quod Ameriani, contra neutrorum debitum, arma et commeatus hostibus suis, non sibi sociisque, venditarent.

**

Ne ex Americis recedamus, addemus in Mexicana repubblica Carranza ducem cum copiis suis urbem caput rursum occupare valuisse; quum autem hostilia nonnulla apud exterorū cives acta fuerint, loricatas naves duas ad Vere Crucis portum a septentrionali America esse missas. Item Capenton navarcha iussus est ut per vim, si opus foret, ordinem in Haïtiana civitate, et ipsa ab internis factionibus graviter pessumdata, restitueret. In Peruviana repubblica denique Iosephus Pardo praeses pacifice electus est.

**

In Lusitania pariter novus civitatis praeses suffectus, Bernardinus Machado.

Idibus Augustis MCMXV.

POPLICOLA.



VACUI TEMPORIS HORA

Nostrae res.

Fasciculus hic commentarii nostri, prouti in operculi pagina prima videre vobis, socii et lectores hūmanissimi, datum fuit, post tempus item et ante tempus ad vos venit. Si vero hodiernae tempestatis adiuncta iam nobis aliquam editionis intermissionem facile praedicebant, longe tamen aberamus quin et cogitaremus ipsum imprimendi locum nobis esse immutandum. Quamquam si, ut confidimus, futurum erit ut typi nitore et elegantia magis praestent, nonne et ipsi morae impatiens indulgebunt? Adde, infelix hoc diuturnum bellum,

cuius incendium nemo prospicere heu! potest quomodo et quando extinguitur, ad eiusmodi incitas nos redegisse, ut non exterorū tantum scriptores, sed nostri quoque secum rapuerit; quinimo et ipsius, ut ita dicam, rudis laboris socios; effecitque ut unus pluribus rebus intendere coactus sit. O miseri nos! vere per annonam caram nati sumus; — liceat cum Stasimo illo, Fridiani servo, exclamare.

Fridianus? Meministisne homunculum eiusque praeclara gesta? Atqui ei tandem praesentes ipsas angustias superare contigit, neque Lentuli amici domum, sed orbem universum attingere, suique «caracallati» et «galerati» spectaculum praebere. Utinam ei plaudant gentes, sive togatae sint, sive tunicatus popellus! Fridianus enim, dummodo plausum accipiat, fortunatissimum sese reputabit. Animum autem eo magis ad successum assumpsit, quod Ioannes Baptista Francesia, vir latinis litteris et morum censura clarissimus, eum coram produxit... Addam, ex eiux exemplo, adulescentulum alterum, nomine Franciscum, seu, prouti nuncupant omnes, Francisculum, sagacem quidem et figurari rota versutiorem, motum esse ut quemdam ludum suum identidem exponat, heri sui amico cuidam facto, impedienti quominus heri ipsius natali die is ad mensam invitatus accumberet. *Francisculi prandium* edi incipiet in proximo *Almae Romae* fasciculo, qui *Idibus Octobribus* vulgabitur, gratumque sociis et lectoribus nostris fore speramus, ac praesertim anonymo illi meo Badaiocensi, qui novas hisce diebus literas ad me misit, succensus quod falso ei vitio tribuerim potandi voluptatem. Quamquam, quae eius est humanitas, errori meo se pepercisse, ipse declarata.

vit; quem libenter hic publice poenitendo, credo iam ex mea parte satis purgatum.

**


Musices et bellum.

Recens in hisce paginis de musica virtute scripsi ad curandos morbos; nonnulla hodie addere placet de musice et bello, quae recens in quadam Gallica ephemerede legi.

Vetustissimos populos musicis instrumentis maxime usos esse ad vim pugnantium excitandam, et ex hoc coniici potest, quod Tyrtheus ius civitatis Lacedaemone obtinuit ob novi generis bellicam buccinam a se inventam. Musicae tamen militum cohortes recentius inductae sunt; a Gallis, ut videtur, in bello quod Ludovicus XII rex cum Italis gessit. Anno enim MDL, quum Santhià oppidum obsideretur, Bonnivetus dicitur solitus post moenia viginti fidicium manipulum colligere, qui psallerent dum

conclamaretur ad arma. Saeculo post, quum Illeida oppugnaretur, Gallica legio ad sonum fidium viginti quattuor vallis potita est!!! Magnus autem ille Condè, quum in castra proficeretur,

fidicines suos secum ducebat, quasi voluptuarium iter aggredieretur. Regiae potestatis sub exitum, legio quaeque in



HORAE SUBSECIVAE

Mulierum pileus.

*Cur tot plumarum molem, tot serta, tot herbas
Nunc capiti imponit quaque mulier, suo
Scire velis? Sane ne parvus dicere censor
Præterea mordax audeat esse caput.*

Famulus lepidus.

*Dic age: nonne, asinum paulo ante empturus, amicus
Huc venit lanus? — dicit herus famulo.
— Certe. — Et quae de asino pro me responsa dedisti?
— Unum hoc: nunc abiit. Nuper enim exieras.*

Cantor et canes.

*Hermogenes cantor, cuius iam stridula oberrat
Altius e numeris vox modulata sonos,
Acriter obiurgat quotquot, lacerantibus aures
Saepe viatorum, verbera dant canibus.
Dent sine, quidam inquit, compleat latratibus aures.
Contra qui melius noverat Hermogenem,
In socios virtute pares, illi inquit, amice,
Laudanda omnimode semper erit pietas.*

Turcarum bellicus concentus

auctore Mozart.

*Cymbala bina patent, et quattuor inde puellae
Promptae una manibus forte creare melos.
Quidam ait: — Hercle! manus sat quattuor. — Octo, —
Contra, — ne stupeas, ante vide titulum. [magister
— Recte — tum alter. — Turcarum symphonia dici
Vera neguit, si non sint simul Octo manus.*

Neapoli.

FRANCISCUS T. MOLTEDO.

Gallia musicam suam cohortem habuit, quarum tamen prima hoc nomine digna, novis inductis rebus, nationalium, qui appellabantur, vigilum Lutetiae Parisiiorum evasit. Napoleoni, e contra, huius-

modi concentus haud grati fuere, praeferenzi — quis dubitaverit? — ballistarum fragorem. Nunc vero in favorem redierunt, eorumque honor Milleyrand administro est tribuendus.

* *

Loci.

Causa in vinolentum quemdam apud tribunal agitur.

IUDEX: Proh pudor! Quam in vino es immodestus! Improbandus quidem habitus tibi es factus, qui septies et decies ex eadem via susceptus es!

REUS: Militiam gessi, ex eiusque disciplina didici a suo loco non esse abscedendum.

* *

Iuvenis quidam, qui petulantiam suam

quasi ingenii acumen stulte ostentabat, quum villicae occurrisset asinorum armentum ducenti, hisce verbis salutavit: — Ave, asinorum mater! Cui illa candide: — Salve, fili mi!

* *

Aenigmata.**I.**(vulgo *Rebus*)

E
C sus N
SEDE

II.

Fructui odorifero caput amputa; erisque Ca-
[millus]
Restaurans orbi grande potensque caput.

IOSFOR.

ROMA SACRA

Acta Benedicti PP. XV.

De competencia Supremi Apostolicae Signaturae Tribunalis.

Per Pontificium chirographum d. xxviii mens. Iunii MCMXV, ad instantiam Emi. Card. Michaëlis Lega, Supremi Apostolicae Signaturae Tribunalis Praefecti, ipsius Tribunalis competencia ita certius definita et aucta est, ut

I) eius quoque sit cognoscere de recurribus adversus sententias matrimoniales, quas nec iure appellationis, nec extraordinaria cognitione, pro natura harum causarum, ad novum examen admittere censuerit S. R. Rota;

II) sub nomine actionis de *querela nullitatis*, de qua in *Lege Propria* Pii X P. M. fe. re., can. 41, § 3, nedum querela nullitatis comprehendatur ad obtinendam de-

clarationem nullitatis sententiae, sed etiam petitionem *rescissionis* sententiae manifeste vel peccantis in legem, vel factorum veritatem pervertentis;

III) extensio antiqui instituti *restitutio-*
nis in integrum directe comparatae pro *minoribus* quatenus est *remedium extraordinarium*, confirmetur et in usum ducatur, ita tamen ut sit locus huic actioni extraordinariae *restitutoriae* seu *revocatoriae*, quoties invocari non possit *querela nullitatis*, aut *actio rescissoria*, de qua supra;

IV) Tribunal Apostolicae Signaturae Pontificis nomine in posterum examinet utrum expediat annuere precibus eorum qui petunt a Papa, ut Ipse dignetur aliquid circa iustitiae administrationem describere, et potissimum ut Tribunalis S. Rotae vel alieui S. Congregationi vel ipsi Tribunalis Signaturae certam quaestionem committere

cognoscendam et definiendam, opportunis adiectis clausulis, prout res postulet, iisque auditis quorum res intersit.

Negotiis autem penes Supremum Apostolicae Signaturae Tribunal agitatis et expediendis decrevit Pontifex ut operam suam subinde conlaturi sint insignia duo Collegia, alterum a *Votantibus*, alterum a *Referendariorum* Signaturae nuncupata; quae ad effectum, quatenus opus fuerit, iterum instituit seu restituit et in exercitium revocavit, servato in ratione interveniendi et procedendi modo per opportunas regulas determinando; ita tamen ut hi Praelati sint *loco Consultorum*, quos induxit Pii PP. X Const. *Sapienti Consilio Lex Propria*, can. 36, § 2. Collegium a *Votantibus* septem Praelatis constabit; alterum a *Referendariorum* innumeratum manebit. Quo denique maior auctoritas et honor praefato Tribunal accedit, qui a secretis huius fuerit, Summi Pontificis quoque Auditoris munere fungetur.

Ex S. Congregatione Concilii.

Ius funerandi circa Capellanos castrenses.

Dum ardet praesens bellum, capellani castrensis, qui in hospitalibus nunc pro militibus vulneratis aut aegrotantibus erectis inserviunt, *exclusive* competit ius funerandi quoad milites qui in praedictis hospitalibus decedant, dummodo tamen exequiae peragantur in sacello hospitalis et cadaver sine pompa efferatur ad coemeterium.

(Ex decr. d. vii mens. Iulii MCMXV).

Ex S. Congregatione Consistoriali.

De amotione parochorum in Civitatibus Foederatis Americae Septentrionalis.

Rectores paroeciarum seu missionum in Civitatibus Foederatis Americae Septentrionalis, qui inter inamovibiles iuxta Concilium Baltimoreense III non recensentur, sed adhuc amovibiles nuncupantur, vi decreti *Maxima cura* et praesertim canonis xxx eiusdem decreti, solummodo amoveri seu transferri nequeunt servato ordine processus in memorato decreto statuti; sed amoveri possunt ad nutum Episcopi, firmo tamen

monito Concilii Baltimorensis II, ne Episcopi hoc iure suo, nisi graves ob causas et habita ratione meritorum, uti velint.

(Ex decr. d. xxv mens. Iunii MCMXV).

Ex S. Congregatione de disciplina Sacramentorum.

Facultas adservandi SS. Eucharistiam in stativis castrorum valetudinariis atque in bellicis navibus.

Sacra Congregatio de disciplina Sacramentorum, Illmi. ac Rmi. Ordinarii Castrensis in Italia precibus benigne annuens, vigore facultatum a SSmo. D. N. Benedicto PP. XV tributarum, eidem commisit ut, durante praesenti bello, pro suo arbitrio et conscientia veniam faciat qua, tum in stativis castrorum valetudinariis, tum in bellicis navibus ubi classiariis administer a sacris adsit, SS. Eucharistiae Sacramentum adservari possit, dummodo altare, in quo ciborum collocabitur, sit decenter instructum et supellectibus sufficienter praeditum; ibidem sacrosanctum Missae sacrificium semel saltem in hebdomada celebretur; eiusdem ciborii clavis caute custodiatur; lampas ante SS. Sacramentum collucescat; sacrae species frequenter iuxta rubricas renoventur, aliisque servatis cautelis ipsi Ordinario Castrensi benevisis pro diversitate circumstantiarum et locorum, ad tutamen et decorum SS. Eucharistiae.

(Ex decr. d. xxii mens. Iunii MCMXV).

Ex S. Congregatione Rituum.

De imaginibus Beatorum publicae veneracioni expositis.

Si adfuit indultum apostolicum, vel tantum expositionis praedictarum imaginum seu statuarum, vel maius indultum celebrandi festum cum Officio et Missa de Beato (quo in casu facultas continetur exponendi memoratas imagines, seu statuas) eas auctoritate respectivi Ordinarii amovere non licet; secus tolli possunt.

(Ex decr. d. xxiv mens. Iulii MCMXV).

Varia.

Decreta iam alias edita tempore belli, quae omnino adhuc videntur.

In actis Apostolicae Sedis (an. VII, n. 13, d. 31 Iulii 1915) haec quae sequuntur Decreta «denuo edere peropportunum visum est, quum, hodiernis rerum adiunctis, integre ipsa omnino vigeant». Eorum altero, a S. Poenitentiaria prolatu d. XIII mens. Martii an. MDCCCLXXXVIII ad *Ordinarios Locorum in Italia*, praescribitur «permitti posse ut occasione, de qua quaeritur — (scilicet belli, quod tunc temporis ab Italibus in Africa gerebatur) — a parochis aliquis ecclesiasticis viris — (quum res bene cesserint) — canatur hymnus ambrosianus, ita tamen ut post hymnum ambrosianum recitentur versiculi tantum communes et unica oratio pro gratiarum actione, omissis quocumque alio versiculo et oratione; itemque permitti posse ut sacrosanctum Missae sacrificium, aliaeque funebres caeremoniae celebrentur, quin habeantur in Ecclesia nec a viris laicis, nec a viris ecclesiasticis et ab ipsis Ordinariis funereae orationes. Cavendum omnino, ne haec omnia in politicos sensus retorqueantur».

Aliud decretum est S. Rituum Congregationis *De suffragiis pro defunctis in bello Tripolitano*, dat. d. III mens. Februarii MCMXII, per quod «mandat ac praecipit Sanctitas Sua, ut in eiusmodi funeribus, etsi fiant diebus a rito permisis, nemo, cuiusque sit dignitatis, sermones aut funebres orationes, in quibusvis ecclesiis seu oratoriis, habere praesumat».

Vita funeti viri clariores.

Romae, die XIX mens. Augusti MCMXV fato concessit Purpuratus Pater **Seraphinus Vannutelli**, Episcopus Ostien., Portuen. et S. Rufinae, Sacri Cardinalium Collegii Decanus, Poenitentiarius Maior. Natus erat in oppido Genazzano Praenestinae Dioecesis d. XXVI mens. Novembris MDCCCLXXXIV.

Ex Pontifícia Commissione de Re Biblica.

Dubia de Parousia, seu de secundo ad-

ventu D. N. Iesu Christi in Epistolis S. Pauli Apostoli.

I. Utrum ad solvendas difficultates, quae in epistolis S. Pauli aliorumque Apostolorum occurrunt, ubi de «Parousia», ut aiunt, seu de secundo adventu D. N. Iesu Christi sermo est, exegetae catholico permisum sit asserere, Apostolos, licet sub inspiratione Spiritus Sancti nullum doceant errorem, proprios nihilominus humanos sensus exprimere, quibus error vel deceptio subesse possit? — Resp. Negative.

II. Utrum prae oculis habitis genuina muneris apostolici ratione et indubia sancti Pauli fidelitate erga doctrinam Magistri; dogmate item catholico de inspiratione et inerrantia sacrarum Scripturarum, quo omne id quod hagiographus asserit, enuntiat, insinuat, retineri debet assertum, enuntiatum, insinuatum a Spiritu Sancto; persensis quoque textibus epistolarum Apostoli, in se consideratis, modo loquendi ipsius Domini apprime consonis, affirmare oporteat, Apostolum Paulum in scriptis suis nihil omnino dixisse quod non perfecte concordet cum illa temporis Parousiae ignorantia, quam ipse Christus hominem esse proclamavit? — Resp. Affirmative.

III. Utrum attenta locutione graeca «ἵμετς οἱ ζῶντες οἱ περιλειπόμενοι»; persensa quoque expositione Patrum, imprimis sancti Ioannis Chrysostomi, tum in patrio idiomaticum in epistolis Paulinis versatissimi, liceat tamquam longius petitam et solido fundamento destitutam religere interpretationem in scholis catholicis traditionalem (ab ipsis quoque novatoribus saeculi XVI retentam), quae verba sancti Pauli in cap. IV, epist. I ad Thessalonicenses, vv. 15-17, explicat quin ullo modo involvat affirmationem Parousiae tam proximae, ut Apostolus seipsum suosque lectores adnumeret fidelibus illis qui superstites ituri sunt obviam Christo? — Resp. Negative.

(D. XVIII mens. Iunii MCMXV).

Dr. JOSEPHUS FORNARI, sponsor.

Ex off. S. LAPI in Civitate Castelli.

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium annuae subnotationis (fasc. 12) est in Italia libell. 9; ubique extra Italianam libell. 12 (doll. 2.40; march. 10; rubl. 4 1/2; sh. 10; coron. 12) ante solvendum rectoque tramite mittendum ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, Romam, Via del Governo Vecchio, 96. ☈ ☈

SOCIIS NOSTRIS HUMANISSIMIS

Sociorum nonnulli per elapsum Septembrem mensem Augusti, superioris, fasciculum repetiverunt, quem deperditum autumabant. Satis iis a nobis responsum videtur in ipso proxime edito fasciculo, apud quem, binis illis mensibus inscriptum, rationes (pag. 156) declaravimus, unde ad unionem hanc coacti essemus. Addere tamen hodie iuvat:

A) Fasciculum VIII an. II, scilicet mensis Augusti et Septembri MCMXV simul iunctorum, ante Idus Septembri prodiisse et ad socios omnes esse missum, eos etiam qui nondum subnotationis suaे premium solverunt, vocemque nostram «clamantem in deserto» reliquerunt adhuc. Si igitur a publico cursu non traditus est, is vere in itinere periit et iure est a nobis requirendus, qui iterum diribitorio statim concredemus.

B) *Per factam intermissionem socii cuiusque annuam subnotationem esse eo ipso ita prolatam, ut — quemadmodum alias diximus — tum demum absolvatur, quum pacatos fasciculos duodecim singuli habuerint.*

ALMA ROMA.

Quibus praeceptis Iustini Epitome scateat, breviter inquiritur.

Perlegenti mihi Iustini Epitomen, illud idest opus in quo auctor, quem paene sub silentio tenebrisque scimus delitescere, in angustum Historias Philippicas Pompei Trogi coegerit, ac breve veluti florum corpusculum fecit, hoc prium occurrit, rerum narrationi modo simplici et nullo scribendi artificio exaratae, modo vero tumidae et nescio quid poetici redolenti, hue illuc sententias et praecepta de moribus inserta patere. Iustinus enim etiam in narrando modo vitiorum insectator appetet, modo virtutis magister; quo munere vel nimium gaudet. Nullam autem occasionem prae-